

## DE CONSERVANDA

**N**asturtium sistere defluuium capillorum, si caput succo eius inungatur, uel si aqua, uel succus eius bibatur, id quod Auicen. quoq; 2. Can. cap. 513. testatur. Retinet, inquit, capillos capitis cadentes, bibitum et linutum. Secundus est, curare dolorem dentium, & maxime ex causa frigida. Nasturtium enim incidit, resoluit & calfacit, ut ostensum est supra cap. 60. Tertius est, succum eius purgare lychenas & squamas cuti adherentes cum melle illitum. Eius modi enim squamæ generantur ex phlegmate salso. Nasturtium, autem ut dictum est, omne phlegma purgat. Quare intra corpus adsumptum, prohibet causam squamarum, & easdem, foris illitum, abstersione sua tollit, & maxime cum melle, nam & hoc quoq; abstergit. Auicenna præterea & alios effectus enumerat. Exiccac, inquit, putredinem uacuitatis uentris, mundificac pulmonem, & confert asthmatis, et ponitur in medicinis & sorbitionibus asthmatis, eò quòd extenuet & incidat. Calfacit stomachum & epas, confert crassitie splenis cum melle emplastrimodo impositum, conciliat uomitum flauæ bilis, & per inferna eandem educit, augmentum efficit in coitu, soluendo educit uermes, & menses ciet.

## DE CHELIDONIA.

### CAPVT LXXI.

**C**Oecatis pullis hac lumina mater  
hirundo,

Plin